

usus, nullâ neque similitudine neque dissimilitudine ob-  
stante.

§. 7. Ad rationes supra pro Platonis sententiâ allegatas  
pergimus. In primâ quidem negamus consequentiam. Mate-  
ria atque instrumenta vocum, uti sunt lingua, pulmo &c. quanti-  
vis naturalia sint, forma tamen sive significatio vocum per ea-  
dem formatarum naturalis haud est. Quod in nostrâ vocamus  
Mensch/ significat rem hanc ex voluntate atque impositione  
hominum. Sicuti latinis eadem res alio tamen nomine ex  
arbitrio designatur. Quod deinde alteram concernit. Penes  
Adami arbitrium pariter res tota stabat, ut, quomodo vocaret  
animam viventem, illud nomen ejus esset. Indidit igitur ho-  
mo nomina cuique jumento, & volatili cœli, omniq; bestia a-  
gri. Sed & ita indidit, ut nomina ista brevissimæ atq; abso-  
lutissimæ rerum definitiones essent. Est igitur nominum im-  
positio alia *ἄπὸ τύχης, quæ temerè facta, sine certâ signi & signati  
seu significati ἀναλογία, ut lapis, arbor &c.* Alia verò *ἐκ θεωρι-  
πέσεως, consilio & certâ ratione atq; analogiâ, ut sunt multæ vo-  
ces in Ebræâ, pauciores in reliquis lingvis.* Tales voces ele-  
ganter Plato vocat *ὄργανα διδασκαλικά καὶ ἀπειρητικά δι-  
λόματα, καὶ μιμήματα πραγμάτων.* In his quoque locum  
aliquem invenerint argumenta, quæ ab eodem in Cratylo ad-  
ducuntur. Primum est, quod *ὄνομαθεσία* sit *πρᾶξις* virorum  
sapientum. Omnis autem *πρᾶξις* revocanda ad certam ali-  
quam normam, quam vocat *εἶδος*. Alterum, quod nomina  
rerum sint organa seu instrumenta, quæ non debent esse vaga &  
incerta, sed certa & determinata.

§. 8. Neque tertio Homo imperfectior brutis est ob na-  
turalium signorum defectum; qui verò in ipsò deprehenditur  
nullus. Habet omnino naturalia signa suarum passionum,  
veluti sunt risus, lacrymæ, alia. Id verò majoris perfectionis  
est, quod insuper signa habeat voluntaria pro conceptibus suis  
exprimendis. Frivola sunt quæ *P. Nigidius* pro naturali vocum  
significatione affert, desumpta è pronominibus latinis primæ &  
secundæ personæ. *Vos, inquit, cum dicimus, motu quodam oris*

com-